

ac denotet, non vaticinia Prophetarum V. T. de morte & passione Christi, sed Dei ipsius, Patris, Rom. VIII, 32, Filii & Spiritus Sancti, Gal. II, 20, consilium decretumque æternum de morte & passione Christi, in temporis plenitudine ab hoc subeunda. Matth. vero Cap. XXVI, 24, collato cum Luc. XXII, 22, non ostendit, τὸ ὄρισμένον explicandum esse, per τὸ γεγραμμένον, perinde, ac si hæc duo sint ἴσοδυναμεῖται vocabula, sed ut nos, idem illud, quod est ὄρισμένον, h. e. ab æterno a Deo de morte crucis Christi definitum ac constitutum, cogitemus, esse etiam γεγραμμένον, h. e., a Mose & Prophetis in literas relatum nobisque reuelatum. Sed hæc controuersia critico-philologica magis esse, quam theologica, videtur, quare nunc pergendum est ad alia.

§. III.

Sunt vero iterum, qui ex eo, quod Christus, h. l. dicitur ἐνδοῦς τῆς ὄρισμένης Βελῆς καὶ προγνώστει τῷ Θεῷ, non esse negandam prædestinationem ipsius Seruatoris nostri, colligunt. Nunc enim τὴν ὄρισμένην Βελήν, nunc πρόγνωσιν τῷ Θεῷ, per prædestinationem Christi, expoununt. BELLARMINVS, Lib. II. de V. D., c. XIV, Resp. ad III. loc., Vulgatum interpretem, vocem ὄρισμένος, Rom. I, 4, bene translisse, per prædestinatum, ex nostro conatur demonstrare oraculo, quippe in quo vocabulum ὄρισμένη ita similiter vertatur, contra quem recte observat HVNNIVS, T. II. Opp., p. 273, verba textus nostri τῆς ὄρισμένης Βελῆς prorsus incongrue transferri, per prædestinatum consilium, hanc addens causam, quod consilium illud Dei, cuius Lucas meminit, fuerit ab æterno, & potius illud, quod prædestinat, quam quod prædestinatur. Contra DIONYSIVM PETAVIVM, in T. VI Dogmat. Theol., de Incarnat Lib. XI c. XIII, §. 3, vulgatum interpretem acerrime, cum BELLARMINO, defendantem, conferri potest, JOH. FRANC. BVDDEVS, d. l. ESTIVS in hunc locum, usque adeo etiam πρόγνωσιν τῷ Θεῷ, per prædestinationem exponit, eandemque huius vocabuli significationem ex I. Petr. I, 20, confirmare intendit, in quo inest, & vocabuli προγνώσεως interpretatio prorsus aliena, & mira προγνώσεως καὶ προφητικῆ confusio. Lucas enim in nostro oracu-